

Letter 238: 27 March 1525, Strasbourg, Capito to Ulrich Varnbühler

This is the dedication of the new edition of Capito's Hebrew grammar, *Institutionum Hebraicarum libri duo* (Strasbourg: W. Köpfel, 1525). The text is on a2 recto-a7 verso.

Huldericho Varnbulero, cancellario regimenti imperialis, amico et fratri suo charissimo, V.
Fabritius Capito gratiam et foelicitatem optat.

5 Salve, amice iucundissime atque integerrime. Hebraeae linguae methodon tibi pro liberis
tuis foelicissimis efflagitanti haud gravatim suscepi describendam. Tametsi ad istud institutum
opera mea non admodum necessaria, potissimum hac tempestate, videbatur, qua libelli satis
laboriose conscripti passim emergunt, e quibus quod satis est haurire contingeret. Verum, quia
15 plurimum refert, praeceptorem esse notum familiariter, ut sum filiolis tuis famil[i]ari convictu
vel cognitissimus, putavi officii mei esse, ut tantillum temporis impenderem, quoad in ordinem
cogerem eam sylvam rei grammaticae, quam ex variis grammaticorum atque autorum
10 commentariis, superiori anno comportaveram. Nam ab aula reversus, ad recognoscendas linguas
me dedi. Atque utinam eodem pariter cursu, quod reliquum erat laboris tum peregissem, ubi a
lectione mihi calere videbar, prodiisset opus, si non erro, cum minori molestia mea, et cum fructu
lectoris longe maiori. At mihi fatale est, ut novis semper tragoediis, sese continuo excipientibus,
cogar praeesse, quibus abesse nullo licet, neque consilio, neque industria, cum maxime sit et
15 voluntas et ratio quam diligentissime cavendi. Adeoque factum est, ut fugitando aulicas
occupationes, negociis modo implicer vilioribus, iuxta hominem, sed nihil minus coniunctis
periculo, quam quae tibi immineant, coniuncta sunt, qui es imperialis senatus primus scriptor, et
veluti moderator, adeoque qui conflictaris cum ingeniis diversissimis, parumque syncaeris
interim. Atque utinam in publicum tam prosit malorum meorum moles, quam mihi privato
20 molesta esset, nisi ferendo fecissem leviolem. Iam quia iterum promissi admones, iterumque
requiris, ad scribenda grammatica, meam operam, quamvis alieniore tempore, parebo tamen, ut
hoc obsequio declarem animum erga te meum.

Ad quam quidem rem plurimum incitat senatus nostri honestissimus ille conatus, nam hic
meditantur, si nescis, collegia trilingua, et bonarum literarum, atque eloquentiae studia
25 instituere, quod experientia didicerint, quemadmodum quotidie nos monemus, inscitiam esse
pestem pessimam reipublicae matremque superstitionis, iuxta ac tyrannidis, cuius maleficiis
depraedata est ingluvies Antichristi Germaniam, immo orbem totum, pietas extincta, profligata
humanitas, omnis indoles probitatis obliterateda deperditaque est funditus. Studio igitur sibi ducunt
prudentissimi, pariter atque Christiani viri, cavere tuto, quo minus rex facierum labefactatus,
30 immo victus a verbo Domini, receptis a stupore Germanorum viribus, potentius quam antea
irrupat, grassetur depopuleturque Christianismi renati tenerum adhuc florem, hoc est,
inchoatam spem salutis. Nam se reliquas respublicas vel anteversuras, nedum sequuturas in tam
pio instituto, vehementer optant.

Freti enim simplicitate et ignorantia nostra, per libidinem omnia molissimi isti impostores
35 gesserunt, quibus est tanta nequitia, tanta vitae turpitude, cum superbia et amentia coniuncta, ut
eos non solum non ferret augustus aliquis senatus, sed ne plebs quidem crassior, vel
consuetudine colloquioque suo dignaretur, si prisca pietas aliquid loci etiamnum obtineret, cum
scortatore enim et avaro ne cibus quidem sumendus est, si Paulo credimus, quid cum sacrilegis
Antichristis? Mentientibus Spiritui Sancto et dicentibus, “Pax, pax, ubi non est pax?” Quid cum
40 gloriosis adulteris, quid cum manifestariis paediconibus? Quid cum sceleribus et flagitiis istis
obsecro? Et huius farinae quis ignorat plerosque esse propugnatores antichristicae immunitatis?

Huiusmodi igitur contagioni viam praesepit eruditio praesertim sacra. Sed et reipublicae detrimentosum experimur, paucos e multis sapere, quorum arbitrio si res dependet, popularis status in oligarchian, et hinc in monarchian facile transit, cui proxime adfinis est tyrannis.

45 Mediocre[m] igitur eruditionem, non solum populo optamus, sed etiam plebi et opificibus, vel aliquanto latiore[m] desyderamus, videlicet, ne quis ingenio, eruditione et usu praeditus, spem queat concipere rerum novarum, quam sibi imperitia multitudinis maiorem in modum improbi illi confirmant. Quamquam novare et quasi refingere in melius, quae in peius collapsa sunt, officii duxerim providi magistratus, promiscuae quidem plebis impetu. Nihil salubriter
50 instituitur, quin optime instituta, licentia plebis potius conturbantur.

Verum nobis in primis curae esse debet, ne praetextu pietatis impius Antichristus iterum regnum occupet et sic novissimus error primo fiat deterior. De statu reipublice conservando viderint alii, quibus et otii et experientiae maior copia suppetit. Ad nos proprie pertinet circumundique communire aditum, et obarcere a caulis Christi, digrassantes lupos. Neque alia
55 ratio videtur eos obarcendi, nisi ut usus lectionis sacrae publicitus valeat confirmetque formidulosos, posthabitis fabulis et barbaris commentis papisticae impietatis, quibus orbem captivum tot iam saeculis tenuerunt. Alioqui passim emergentibus ventribus, qui quaestum loco pietatis habent, periculum est, iterum apertam simplicitatem vulgi atrociter divexandam atque enecandam fore, per saevos istos tortores conscientiarum. Siquidem causa parandi victus,
60 pietatem frigide simulant. Qui sint autem revera, non dubitant aperire, posteaquam ad opinionem atque existimationem publicam, tanquam ad optatum finem contigerunt. Totum illis certamen est, ut abundant mundi commodis, neque referre putant, utrum sis pius, ac bonus, an talis habere, modo piorum bonis ac facultatibus ociose frui concedatur. Quanta posteritas gratitudine nostrum magistratum prosequetur? Qui nobis commode admonentibus aurem praebuit et
65 eloquentiae scholas pias, iuxta ac literatas instituere gnaviter pergit. Adeoque initio paruisset, si ab odio antichristianorum vacasset, quo dimovendo multum temporis consumpsimus. Non credis, mi Hulderiche, quanto pectore qualibusque viribus, progredienti verbo sint isti obluctati, et etiamnum obludentur. Et quo animo, nempe gladiatorio, miserorum alimoniae repugnarint, tanquam suae culinae, et sumptuoso ipsorum luxui decederet, quicquid sustinendae in opum vitae
70 accedit. Quot technis studuerunt efficere, ut labascentibus erroribus, veritas Christiana, et nos huius assertores, locum cederemus? Quid criminis in nos fingere illos dispudivit? Alium ex verbi ministris adulterii reum deferunt; alium adulterorum patronum et ius facientem pro voluntate libidinandi; alium loco panis Domini, frustulentas rapas participanti praebuisse populo; alium reiecto baptismo, circumcidere pueros; alium esse aut furem aut homicidam aut patriae
75 proditorem. Ecquid in caput nostrum falso conferre unquam dubitaverunt? O impietatem, o amentiam stupendam!

Consiliumne est vobis Baalitis, quia neque verbo, neque viribus potestis, robustam veritatem vobisque terrificam, mendaciis, dolis, insidiis, malis artibus, evertendi? Clarior profecto mentibus hominum lux veri affulsit, quam ut illam vestris istis nebulis atque caligine
80 tetra obscurare possitis et ne in posterum quidem poteritis per senatum ante annum et semestre, ab exordio inquam praedicationis nostrae cautum fuisset, nimirum instituendo pueris idoneos praeceptores, nisi iniuria, ut dixi, obstinatio violentiaque vestra, qui pecuniis qui noxia potentum gratia, ipsi quoque potentissimi connixi, nihil non tentastis, quo remoram currenti verbo iniiceretis. Atqui felicem illum diem, quo videre dabitur, pubem Argentinensem literis probis
85 atque pietate iuxta erudiri. Eodem adiumento nutriemus, cum rei publicae cives integros et prudentes, tum Christo populum spontaneum, et a servitute inutilium legum animorum liberum, quos in libertatem sua morte Dominus asseruit. Etenim erepto praesidio nostrae inscitiae, nullam

sibi rem adiumento fore ipsi norunt. Didicerunt hactenus se parum gladio et igni, minis et
terroribus aliquanto minus, ingenio nihil prorsus posse.

90 Quid igitur superem, quam ut piis ac honestis doctrinis partam tueamur salutem? Cuius
bona pars a cognitione linguarum dependet, quas hic quantum satis est, auspice Iesu, excolemus.
Semper optima perinde atque probissima teneris animis praeposituri. Siquidem graviores ethnici,
ad firmiter aetatis robur, elegiam atque comoediam reservarunt. Cur Christiani, priusquam in tuto
mores fuerint, lasciva atque spurca, diu noctuque meditari adulescentiam pateremur?

95 Quandoquidem eloquentia, tam probitate animos, quam elegantia linguam excolere, non inficere
illecebris, non impudicitia praedere, non corrumpere foedis cupiditatibus debet. Adeoque
linguarum peritiam, quae res minoris videtur periculi, ab inculpatis quoque autoribus hauriendam
censeo. Quae commentariis grammaticorum adiuvatur, quos etiam refert esse breves, dilucidos,
eruditos atque elegantes. Cuiusmodi, ni fallor, apud Latinos eligere, promptum est, ex Graecis

100 autem grammaticis, plerique mecum primas dant Ioanne Oecolampadio, viro undecumque
doctissimo pariter atque integerrimo. Inter Hebraeos commentarios necdum usus pronunciavit.
Ad sanctam enim linguam orbi invehendam diligentem operam non pauci navarunt, quos in hoc
sum imitatus, ut nostram pubem pro virili iuvarem, aut certe ut illam ad sacram linguam
capescendam incenderem. Nam aliorum lucubrationibus meas nugas non praefero, tametsi

105 quibusdam videor nonnihil valere, ordine ac dispositione, qua dote perspicuitas, et compendium,
ingeniorum fidelissimae adiutrices consistunt. Nam quatuor libris universam vim Hebraeae
grammaticae videor mihi quodammodo absoluisse. Primus summam habet reliquorum. Secundus
verba exactius prosequitur. Tertius nomina per species docet et condeclinia consignificativaque.
Quartus autem punctorum, accentuum totiusque prosodiae rationem latissime describit. Nam

110 quod superioribus annis elegantissimo iuveni Hartamanno Halvilero inscripsimus, oblitteratum
vellem, tanquam proiecticium foetum, qui mihi laboriosus, et illi inutilis extiterit. Siquidem
Graeco Homero, quam Hebraeo Mosi, arctius ille consuevit. Neglecta certe sacra mihi obscuro
praeceptorum suo, et istis meis commentariis infoelicibus debet, sicut humanitatis copiam Petro
debet Mosellano, quo institutore, in id fastigii literarum, quo nunc desidet, persuasit.

115 Priores autem duos libros in hoc nunc edo, ut sequentium duorum gustum lector capiat,
quos non pream, ubi sensero bonis ac eruditis hosce non displicuisse, aut certe ubi scholae
nostrae factae fuerint paulo confirmatiores, recens adhuc, atque adeo imbecille est, quod eius rei
inchoavimus.

120 Hosce, mi Hulderiche, liberis tuis dedico, ceu monumentum amicitiae erga te parentem
illis et mihi fratrem individuum. Quod enim glutinum inter nos fortius optabis, quam a me extare,
quo pignora tua ad honestatem, et ad usum scripturae erudiantur. Nam ut e sacris libris lingua
hebraismo, ita pectus proba pietatis opinione imbuitur. Ergo ne amor tuus in illos et mea spes
utrunque fallat, censeo operaeprecium fieri, si abs te propediem abeant, commendati probo alicui
viro, qui eos, ut sunt indole incomparabiles, ad uberiorem literarum atque morum frugem,
125 commodis laudatiunculis foveat evehatque. Nidor paterni foci pueriles ausus hebetat atque
enervat, et blanda nimisque officiosa progenitorum indulgentia magis impudentiam securi quam
animi ingenui liberalitatem nutrit. Vale in Domino. Argentinae. Sexto Kalendas Aprilis. Anno
1525.